


melius est adiungere modicum vini oligophori, ad vitandum tantum periculum, quale contingit genito lapide in vesica. Et hoc quia tale vinum purgat vesicam, vt habetur tertio de Victu in acutis, (Text. 8.) & etiam quia tum minus redditur biliosum ob separationem partium & celerem expulsionem ex vesica. Infantes enim non purgant vesicam bene ob duas causas, quæ non sunt in pueris, nec iuuenibus, nec senibus, scilicet ob imbecillitatem musculorum & ignorantiam comprimendi bene vesicam cum mingunt, ideo illis est necessarium hoc auxilium.



LECTIO LIV.

Super

TEXT. XXXI.

Mulieribus autem pudendis non similiter contingit, meatus enim vrinæ in vesica brevis est & amplus, vt facile vrina impellatur. Neque enim manu pudendum fricat veluti masculus, neque vrinæ in vesica meatum contingit. Ad pudenda enim perforatus est. Et quia meatus sunt ampli, etiam plus bibunt, quam pueri. Et de his quidem sic res se habet, aut his quam proxime.

Huius Textus partem explicuit Alexander 2. Problem. hoc modo: Cur fœminæ omnes calculum sua in vesica lente concipiant? Quoniam ceruicem vesicæ amplio-rem quam mares habeant, hinc enim fieri potest, vt cum vrina excrementum quoque eiiciatur, quod calculum contrahit. Hic ad Hippocratis verba seu sententiam intelligendam declaranda est triplex colli vesicæ ad genitalia comparatio: in fœminis quidem vna, in masculis autem duplex, seu cum erigitur penis, seu cum flaccesit. Ergo cum masculo penis pendet vesicam intellige *a b*,




quæ longior est quam lata, cuius ceruicis initium sub osse pubis inchoat, quod dicitur inde ascendit, quantum est altitudo ossis pubis, & ibi se exerit, vt in foramen commune penis ingrediatur, figuram ergo *d* efficiet, ita tamen vt iacentem non erectam singas

vt *d*, at si penis erectus sit ad corporis perpendicularum vt *e*, sin vero eouisque vt ventri ferme adhæreat, vt adolescentibus & rigidis viris in hanc formam, (Vasal. lib. 5. cap. 11. in fine, sed obscure & concisè.) Sin verò simplicius rem accipias, & ceruicem solam describas, licet non σ Græcum sed ϵ describere, potius quod differt à σ , quia non clauditur inferius, & tunc Latino assimilari poterit. Sit ergo figura eiusmodi magna vbi *a* finis vesicæ, *b* ossis pubis, pars ima *c* suprema quo inseritur peni os, vt ita dicam, ceruicis dum est inclinatus penis: dum est erectus ad perpendicularum, vt in secunda figura: & dum ad ventrem in tertia: in partem igitur *a* intruditur lapis, sed vt ascendat ad *b*, atque inde ad *c*, non nisi per vim vesicæ se com-



primentis, atque impetum vrinæ fieri potest, lata autem est ceruix iuxta ortum initio quantum fermè pollex patientis exeritur duorum digitorum non plenè latitudine ab ipso osse. Excinditur lapis à sinistra parte sub osse pubis inde immissa cathetera, & è regione illius vbi collo vesicæ intruditur, à sinistra autem quoniam illa pars est è regione dextræ operantis: & etiam quia si à dextra manus artificis impingeret forcipem non in lapidem, sed in vesicam solam, & in latus sinistrum, aut cogeretur auerso brachio & manu operari. Ideo necessarium est hoc, & non ex natura rei, sed ex comparatione, diuisa carne inter musculos obliquè parum, manifestum est ergo quod ad ceruicem peruenitur tum, quam etiam diuidunt. Si magnus est frangitur, si paruus extrahitur, inde cocleari vesica purgatur. In fœminis autem supra col- lum vteri inseritur ceruix vesicæ, & parum immergitur, & est satis ampla nec reflectitur, inquit Vesalius, vt vix possit lapis in eis generari, generatur tamen & in eis quandoque cum ceruix arcta fuerit, & os ceruicis non exquisitè in imo vesicæ, quod ferme ita se habere necesse est, cum vteri collum rectà ten-



dat inferius, & ceruix in ipsum inseratur, fieri non potest, vt ceruix vesicæ illi inseratur citra hoc vt flectatur, & simul os ceruicis sit in imo vesicæ totius corporis fœminei comparatione, aliter duæ rectæ lineæ concluderent superficiem. Velut sit os pudendi *c*, os colli vteri *b*, os ceruicis vesicæ *a*, inseratur collo vteri in *d*, quia ergo non obliqua est, linea ad